

Dissertatio CCXIV.

temporalem dicitur filius Dei iterum introductus in Orbem terrarum: igitur particula iterum alteram importat nativitatem, quae esse non potuit nisi temporalis.

II. Probatur ex Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 2., qui quidem liber citatur a S. Thoma sub nomine Augustini, quia Augustino fuit quidem, se falso attributus, quem re vera Fulgentii sit legitimus fons ac genuinus. Ait igitur Fulgentius: Natus est semel ex Patre, & semel ex Magre: ergo re vera Christus bis natus est; & per consequens in illo termino bis numeratur duplex Christi nativitas. Quod explicat Suarez 3. par. qu. 35. art. 2. in commentario, dicens: „Quatenus enim ratione saltem analogia nativitatis conveniunt, & inter se distinguntur, numerari illo modo possunt: nec necesse est, ut sub eadem mensura comprehendantur, neque ut altera interrupta sit, seu cessaverit, haec enim accidentaria sunt: per se vero sufficiunt, ut re ipsa origines distinctae sint, & earum etiam durationes. Ut recte dicere, tunc hic aer bis illuminatus, si postquam ab uno agente lumen in illo productum est, aliud lumen ab alio introduceretur, priori illuminatione non interrupta, sed adurante „.

III. Probatur ex Damasceno lib. 3. de fide orthodoxa cap. 7. in medio: Confitemur duas Christi nativitates; unam, quae est ex Patre, eternam, & unam, quae est in ultimis temporibus propter nos: ergo vere Christo attribuenda est nativitas temporalis.

IV. Probatur a S. Thoma. Natura comparatur ad nativitatem, sicut terminus ad monum, vel mutationem; sed motus diversificatur secundum diversitatem terminorum: ergo nativitas multiplicatur secundum multiplicationem naturarum; atqui in Christo sunt duæ naturæ, divina scilicet, & humana, quantum unam accipit ab æterno a Patre, alteram accipit temporaliter a matre: ergo oportet attribuere Christo duas nativitates, unam, qua æternaliter natus est a Patre, aliam, qua temporaliter natus est a Magre.

Dicimus III., attendendo causam filiationis, quæ est nativitas, admitti debent in Christo duæ filiations, sicuti sunt duæ nativitates: attendendo vero ad subjectum filiationis, quod est persona, vel hypostasis Filii, admitti debet in Christo una tantum filiatione, sicuti est una tantum hypostasis, vel persona.

I. Probatur ratione, & verbis S. Thomæ:

„Unitas enim relationis, vel ejus pluralitas non attenditur secundum terminos, sed secundum causam, vel subjectum. Si enim secundum terminos attendere, oportet, quod quilibet homo in se duas filiationes haberet: unam, qua referetur ad patrem, & aliam, qua referetur ad matrem. Sed recte consideranti appeararet eadem relatione referri unumquemque, que ad suum patrem, & matrem propter unitatem causa: eadem enim nativitate homo nascitur ex patre, & matre, unde eadem relatione ad utrumque refertur. Et eadem ratio est de magistro, qui docet multos discipulos eadem doctrinam: & de domino, qui gubernat diversos subiectos eadem potestate. Si vero sint causæ diversæ speciei differentes, ex consequenti videtur etiam relationes specie differentes, unde nihil prohibet, plures tales relationes eidem inesse: Sicut si aliquis est alius quorum magister in Grammatica, & alius in Logica, alia est ratio magisterii, utriusque, & ideo, relationibus diversis, unus & idem homo potest esse magister, vel diversorum, vel eorumdem secundum diversas doctrinas. Contingit autem quandoque, quod aliquis habet relationem ad plures secundum diversas causas, ejusdem tamen speciei: sicut cum aliquis est pater diversorum filiorum secundum diversas generationes actus: unde paternitas non potest specie differre, cum actus generationum sint idem specie. Et quia plures formas ejusdem speciei non possunt simul inesse eidem subiecto: non est possibile, quod sint plures paternitates in eo, qui est pater plurium filiorum, generatione naturali. Secus autem est, si est pater unius generatione naturali, & alterius per adoptionem. Manifestum autem est, quod non una, & eadem nativitate Christus est natus ex Patre ab æterno, & ex matre ex tempore, nec nativitas est unius speciei; unde quantum ad hoc, oportet dicere, in Christo esse duas filiations, unam temporalem, & aliam æternam. Sed quia subjectum filiationis non est natura, aut pars naturæ, sed solum persona, vel hypostasis, in Christo autem non est hypostasis, vel persona, nisi æterna: non potest in Christo esse aliqua filiatione, nisi quæ sit in hypostasi æterna. Omnis autem relatio, quæ ex tempore de Deo dicitur, non ponit in ipso Deo æterno aliquid secundum rem, sed secundum rationem tantum, sicut in prima parte habitum est. Et ideo